Quæstiones Philosophicæ
comitijs habitæ Cantabrigiensibus Julij 2°
1639.

CCCCXLV

## Necessariò ponuntur orbes eccentrici.

ASpice quàm vario glomerantur sidera motu,
Quàm ducunt choreas singula quæq; suas!
Si tam vera foret quàm congrua fabula, sphæris
Solliciter dulces esse putare modos.
Nunc per cæruleum videas reptare lacunar,
Et veluti reliquos præmeditata choros:
Mox celeri aspicias volitare per atria passu;
Nec jam, quàm lumen, segniùs ire, suum.
Scilicet à casu mortalia sola putâram
Ferri, atque incertas semper habere vices:
Cœlica non ità sunt. An & hæc errare docentur?
Hæc quoq; habent casus, quomodo nostra, suos?
Num, ceu per solos errant animalia montes,
Aëre vel vacuo libera ludit avis;
Sic etiam varios peragunt quoque sidera cursus,
Nec jam in Zodiaco bestia ficta manet?
Jupiter in veteres formas iterúmne redibit?
Nec tantùm Europæ bos volet esse suæ?
Num Venus ipsa suos imitabitur aurea cygnos?
Atque secuta feras, ipsa Diana fera est?
Arjete num veteri Mars dissimulabitur; atque
Cornua, Vulcano quæ dedit, ipse feret? (tur:
Non ità. Nempe ipsi errores quâdam arte regun-
Hi quoque habent leges; quáque jubentur, eunt.
Est etiam sua cuique Eccentrica sphæra Planetæ:
Hæc cohibet motus, nec finit esse vagos;
Hæc regere assueta est, rectósque ostendere cursus,
Dirigit & stellas atque Mathematicos.

*ERGO*

Sunt etiam vagulis Eccentrica vincula stellis,
Nec tantùm Zonam, quâ religentur, habent.

## Antecedens determinatio non consistit cum libertate voluntatis.

EXile regnum nos homines sumus,
In quo Senatûs munere fungitur
Mens nostra, multa luce splendens;
Principis officio, Voluntas.
Portenta fiunt, si patitur duos
Soles Olympus: machina corruet
Hujusce mundi; flamma terræ
Ex propria fieret ruina.
Non fert priorem Cæsar, & æmulum
Pompeius odit. Numina desinunt
Pollucis, existente fratre;
Nec simul esse Deos videmus.
Cretata belli gloria splendidi,
Tedæ jugales, purpura Cæsaris,
Et principatus Mentis altæ,
Dividuos vetat esse fasces.
Servit Voluntas, ponere vincula
Determinatrix si Ratio velit;
Ut sistit acris vis retenti
Quadrupedis, periítque robur.
Rectis coactâ, libera pessimis
Pejor voluntas. Sic remorâ carens
Dum liberè puppis vagatur,
Ludibrium scopulis maríque est:
At se obsequentem qui sibi subdidit,
Mente egit is cum Consule Principem.

*ERGO*

Servit Voluntas, si perita
Mens doceat, jubeátque leges.

Resp.
Mr Barton Coll: Trin.

Oppon.
Mr Quarles Aul: Pemb.
Mr Sadler Eman.

Mro Gale Magdalena Prævaricante.

Quæstiones Philosophicæ
comitijs habitæ Cantabrigiensibus Julij 2°
1639.

CCCCXLV

## Necessariò ponuntur orbes eccentrici.

ASpice quàm vario glomerantur sidera motu,
Quàm ducunt choreas singula quæq; suas!
Si tam vera foret quàm congrua fabula, sphæris
Solliciter dulces esse putare modos.
Nunc per cæruleum videas reptare lacunar,
Et veluti reliquos præmeditata choros:
Mox celeri aspicias volitare per atria passu;
Nec jam, quàm lumen, segniùs ire, suum.
Scilicet à casu mortalia sola putâram
Ferri, atque incertas semper habere vices:
Cœlica non ità sunt. An & hæc errare docentur?
Hæc quoq; habent casus, quomodo nostra, suos?
Num, ceu per solos errant animalia montes,
Aëre vel vacuo libera ludit avis;
Sic etiam varios peragunt quoque sidera cursus,
Nec jam in Zodiaco bestia ficta manet?
Jupiter in veteres formas iterúmne redibit?
Nec tantùm Europæ bos volet esse suæ?
Num Venus ipsa suos imitabitur aurea cygnos?
Atque secuta feras, ipsa Diana fera est?
Arjete num veteri Mars dissimulabitur; atque
Cornua, Vulcano quæ dedit, ipse feret? (tur:
Non ità. Nempe ipsi errores quâdam arte regun-
Hi quoque habent leges; quáque jubentur, eunt.
Est etiam sua cuique Eccentrica sphæra Planetæ:
Hæc cohibet motus, nec finit esse vagos;
Hæc regere assueta est, rectósque ostendere cursus,
Dirigit & stellas atque Mathematicos.

*ERGO*

Sunt etiam vagulis Eccentrica vincula stellis,
Nec tantùm Zonam, quâ religentur, habent.

## Antecedens determinatio non consistit cum libertate voluntatis.

EXile regnum nos homines sumus,
In quo Senatûs munere fungitur
Mens nostra, multa luce splendens;
Principis officio, Voluntas.
Portenta fiunt, si patitur duos
Soles Olympus: machina corruet
Hujusce mundi; flamma terræ
Ex propria fieret ruina.
Non fert priorem Cæsar, & æmulum
Pompeius odit. Numina desinunt
Pollucis, existente fratre;
Nec simul esse Deos videmus.
Cretata belli gloria splendidi,
Tedæ jugales, purpura Cæsaris,
Et principatus Mentis altæ,
Dividuos vetat esse fasces.
Servit Voluntas, ponere vincula
Determinatrix si Ratio velit;
Ut sistit acris vis retenti
Quadrupedis, periítque robur.
Rectis coactâ, libera pessimis
Pejor voluntas. Sic remorâ carens
Dum liberè puppis vagatur,
Ludibrium scopulis maríque est:
At se obsequentem qui sibi subdidit,
Mente egit is cum Consule Principem.

*ERGO*

Servit Voluntas, si perita
Mens doceat, jubeátque leges.

Resp.
Mr Barton Coll: Trin.

Oppon.
Mr Quarles Aul: Pemb.
Mr Sadler Eman.

Mro Gale Magdalena Prævaricante.

## *Lex naturæ eſt indiſpenſabilis.*

AUdivimus quam venditent Medi ſuis
Gravéſque Perſæ legibus
Severitatem, quas ſimul ratas facit
Æterna cera Principis:
Caſus per omnes & per omnia ſecula
Non abrogandæ permanent.
Pari, ſed arctiore, nos mater tenet
Natura ſtrictos vinculo.
Jus univerſis atque idem jus ſingulis
Præcepit immutabile.
Quo ſubminiſtrat & boni cupidinem,
Odiúmque pertinax mali.
Citiùs profectò ſplendidum lucis jubar
Cum nocte confundas nigrâ;
Quàm, recta quod ratio malum eſſe ſciverit,
Virtutis occupet vicem.
Connata lex hæc, lata quæ tantùm fuit
In conſcientiæ foro.
Hanc, illa vafri quæ Promethei manu
Tonantis è Penetralibus
Surrepta flamma eſt, pectori noſtro indidit,
Ejúſque fecit compotes.
Ipſius hinc non (cuncta qui regit) Dei
Arbitrio eſt obnoxia:
Nam tum (quod abſit) ageret injuſtè Deus,
Prohibendo quod præceperat.
Sed ſempiternam eſt juſſa, dum pectus regit,
Habere, nos penes, fidem.
Non (ergo) poſſit illa lex, quam ſanciit
Natura, diſpenſarier.

## *Defectus in voluntate ſupponit errorem in intellectu.*

NEmo malus prudens? an fallax fallitur error?
Semper & ignarum turpia facta notant?
Te rogo, qui medicum ſimulas; corrupta voluntas
Cùm tua ſit, mentem pravus an error habet?
An medicinalis gnarum te Regula fallit,
Cùm tua non præſtant pharmaca ficta fidem?
Fortè ita reſpondes; morbi me tædia ditant,
Inque oculis fulgent flava metalla meis;
Errorémque meum novi, (defectus & error)
In *Voluiſſe* meo morbus uterque fuit.
Siccine? mentiris, neque enim tua ſana voluntas
Intus erat, ſanum nec tibi judicium:
Prætuleras pravum pietati; nempe ſaluti
Languentis, lucrum mens tua præpoſuit.
E *Voluiſſe* malo venit hic defectus in arte,
E pravo aſſenſu eſt error in artifice.
Arguit erratum capitis malè ſana cupido;
Fida magìs non eſt corporis umbra comes.
Judicio ſtimulante voluntas exit in actum,
Inſequitur, modò mens prævia monſtret iter.
Ambæ (ceu Geminæ) partu naſcuntur eodem,
Formatæ ſimili diſpoſitæque modo;
Diſtortos parit affectus mens improba, noctem
Ut facit oppoſiti craſſior umbra Globi.
Cum recto ſenſu recti naſcuntur amores,
Ut connata oritur Phœbo oriente dies.
Rheumatici capitis cùm diſtillatio manat,
Hinc Phthiſis in toto corpore ſæva furit.
Putrida de cerebro ducit primordia tabes,
Viſcera quæ tandem pectoris ima terit.
Prima animi labes iſta eſt, Non cernere verum;
Hinc fluit in mores copia tanta mali.
Affectus nihil eſt niſi cæca potentia, mens eſt
Abſque voluntatis munere claudum aliquid.
Mutuat illa pedes, & lumina mutuat illa,
Dirigit hæc, concors promovet illa gradum.
*ERGO*,
Unus utramque facit vitioſam noxius error;
Cùm peccant homines, utraq; crimen habet.

Jul. 1. 1650. *In Veſperiâ Comitiorum* *Reſpond.* Mro. Mildmay. *Coll.* Pet. *Soc.*